nium stomachi quod fit de melle ro. ex receptione triasan-
dal. uel rosata nouella. Si calorem patiatur. Si uero
non: detur diacitoniton calidum. Dentur etiam
citonia cocta. sub prunis in aqua et uino. succus
etiam malorum granatorum acetorum appetitum reparat
succus uue acerbe idem prestat. fiat etiam eis ius un-
de de foliis mente et saluie et modico pipere cum suc-
co uue acerbe. Dentur etiam mala maciana e silia
que appetitum iuuant. Vomitus eodem modo potiona- uomitus
tis dupliciter accidit. fit enim ex humoribus ore stomachi
inuiscatis. nauseam et uomitum inducentibus. aut
ex medicina uiuis stomachi inuiscata. Vnde stomachus infectus
indigestionem patitur et abhominationem. hoc
modo autem discernitur. Si corpus non fuerit suffici-
enter purgatum. et grauitatem circa stomachum patiatur
et pondus. et humores in uomitu cum cibis reiciantur
patet quoniam ex superfluis humoribus accidit. si uero gra-
uitatem non patiatur in stomacho. et sufficiens precesserit
purgatio et nullus humor cum cibis reiciatur scimus
quod uomitus prouenit ex medicina. Si ergo humores
causa fuerint uomitus purgentur cum uomica medicina.
uel per uentrem si uirtus potionati sufficiat. Si uero
accidat ex medicina. detur ad potandum aqua in qua coctum
sit gummi arabicum. uel mastix. et lauetur os a medicina. detur
etiam sirupus ro. cum aqua mal. ista enim uomitum
compescunt. ¶ Singultus potionato superuenit
quandoque in principio purgationis. quandoque uero circa finem. In
principio purgationis fit. quoniam humores attracti sol-
uuntur in fumum et uentositatem ex qua replentur
nerui oris stomachi et contrahuntur unde sequitur spasmo
dispositio neruorum oris stomachi. que singultus dicitur. Solet in
maxime contingere ex uomicis medicinis et his qui
recipiunt eam in magna quantitate ut est yerarus. et
oximel iuliani et similia. ista enim humores in uen-
tositatem resoluunt. Oportet ergo moueri et excitari non
ex motu calor suscitetur et materia dissoluatur. Vnde
Ypocras. Cum uolueris elleborum ducere moue corpus. cum
uero stare fac sompnum et noli mouere. Fricemus ergo
eis extremitates. trahamus illos per capillos per barbam
et aures. vaporamus que stomachum cum uesica enea cum la-
teribus calidis et similibus secundum predictas doctrinas. ¶ In fine
uero purgationis prouenit singultus duobus modis. ex
repletione scilicet. uel ex inanitione ut ex humoribus attractis

a medicina neruos oris stomachi infundentibus et re-
plentibus. Vnde fit spasmosa ipsius dispositio contra hunc
singultum predicto modo operabimur. Ex inanitione uero
contingit neruis oris stomachi inanitis et desiccatis ex ni-
mia humorum subductione unde spasmantur nerui
oris stomachi et tunc instat periculum sequitur enim quandoque spa-
smus uniuersalis uel particularis et maxime in tenui
corpore et senibus unde Ypocras. Si purgato seniori sin-
gultus superuenerit mortale. Si ergo adhuc soluentur secundum
predictam doctrinam constringendum est. Vt ergo contra ina-
nitionem operemur reficiendo eos et nisi cito succur-
ratur mors sequitur. damus ergo ius galline ut in iure
faciat offas damus et uinum temperatum. reficiendi sunt
sepe et paulatim quoniam non sustinent multam repletionem
stomachum etiam inungamus oleo uiol. dialtea et butyro. uel
pannum aliquem oleo uiol. infundimus et ori stomachi sup-
ponimus. Sincopis eodem modo solet superuenire quandoque
in principio purgationis quandoque in fine. Tercio etiam modo
scilicet raro ex humoribus ad stomachum fluentibus et defectum mo-
tus cordis inducentibus. est autem sincopis defectus motus
cordis qui grece sincopis uel lipotomia latine ex solutio
uel maluatio uulgo uero dicitur spasmus. In principio purga-
tionis superuenit humoribus ad stomachum attractis et in me-
dicine uentositatem resolutis. maxime si fuerint uisto-
si. Distenditur etiam stomachus ex uentositate. distensus compri-
mit spiritualia unde cessat motus cordis. et destituitur
potionatus motu et sensu. contingit hec passio maxime
ex elleboro et uomicis medicinis turbith. castaneole
catapucie. nuce uomica et similibus. que naturam ha-
bent resoluendi in uentositatem humores. Quibus hoc modo
succurrimus. moueatur potionatus et excitetur. extremi-
tates eius fricentur ut fiat reuocatio spirituum per barbam
per capillos per aures per nares trahatur et nullo modo quiescere
permittatur. mulsam calidam damus ad bibendum ut
medicina moueatur et citius operetur. Ex humoribus
uero ad stomachum influentibus et spiritualia comprimen-
tibus. si contingat sincopis cognoscitur ex dolore et
angustia circa stomachum. Tunc itaque cum medicina laxatiua
succurrimus. In fine purgationis contingit sincopis
ex nimia inanitione et debilitate stomachi. Cum enim corpus
nimium sit inanitum pauci sunt humores et spiritus
unde paucus sanguis transmittitur ad concauitatem cor-
dis a uitalis spiritus. qui cum paucus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1084/0177
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG